CARMEN IN NATALEM SERVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI ...

Mento Gogrevius

Digitized by Google

CARMEN

IN NATALEM SERVATORIS

NOSTRI IESV CHRISTI, NATI HOMINIS ANTE ANNOS CIↃ IↃ LXXVI, *Anno conditi Mundj*, 3692: *à Diluuio*, 2306: *ab Abrahamj natiuitate*, 2014: *à Moſe & Egreſsu filiorum Iſraël*, 1509: *à Salomone & prima Templj ædificatione*, 1031: *à reædificatione, quæ ſub* DARIO *facta eſt*, 519: *ab Vrbis Romanæ conditione*, 751: *Olympiadis*, 149, *anno* 4: *Herodis* 30: *Augu-ſti* 42.

MENTO GOGREVIUS, A. L.
Sacræ Theologiæ Licentiatus, &c

ILLVSTRIBVS, GENE-
ROSIS, MAGNIFICIS, VE-
RAEQVE CHRISTIANÆ RE-
ligionis ſtudio & gloria clariſſimis, in-
clytæ Stiriæ prouinciæ proceribus,
D D. ſuis Clementibus & be-
neuolis, Mento Gogreuius
S. P. D.

FAuſta precans anni cunctis exordia vobis,
Illuſtres proceres, carmina pauca fero.
Carmina, quæ tenui deducta ex tempore filo,
In cunas Chriſti noſtra Thalia dedit.
Sit licet exiguum donum & leuidenſe papyrus,
Pondere grata tameu res erit iſta ſuo.
Præcones inter verbi veſtroſq́ miniſtros
Cum numerer, ſacri pars quotacunq́ chori:
Xenia non repetens, auet obſeruantia noſtra,
Obſequio hoc vobis poſſe placere diu.
Non munus, ſed mens ſpectari in munere debet,
Quæ bona ſi fuerit, munus & eſſe puto.
Quo mittam idm nunc animo hæc incondtta, nouit
Quem cecini, ille ſuo tempore teſtis erit.
Auſpicijs lætis vobis precor emicet annus,
Omnibus atq́ pijs gaudia certa ferat.

IN PVERI IESV CHRISTI SERVATORIS *Noſtri Natalem,*

CARMEN.

SVM QVOD ERAM, NEC ERAM QVOD SVM, IAM DICOR VTRVMQVE.

CRaſtina cum referet croceos Aurora iugales,
  Atque renaſcentem Sol uehet axe diem.
Annua lux aderit, natalis nuncia Chriſti,
  Lux indefeſſo carmine digna cani.
Scilicet in noſtram tunc virgo pudica ſalutem,
  Viſceris enixa eſt pondus onuſq; ſui.
Annua natalis celebremus feſta diei
  Chriſte logos patris, lux & imago tui.
Iam noua progenies cælo demittitur alto,
  Fitq; paleſtina virgine Chriſtus homo.
Annua virginei celebremus gaudia partus,
  Gaudia per multos ſæpè petita dies.
Gaudia, quæ toties ſacra ſuſpirauerat olim,
  Turba prophetarũ, turbaq; ſancta patrum.
Cernere quæ toties cum mæſta coniuge Adamus,
  Cumq; ſua petijt poſteritate Noha.
Quæ toties votis, precibuſq; optauit Abraham,
  Cum de venturo ſemine doctus erat.
Salue cæliculûm dilecta ex omnibus vna
  Virgo patri, ſalue regibus orta parens.

Tu

Tu rubus ille procul Moſes quem monte videbat
Ardentem, nullo ſed tamen igne peti.
Omnes illæſæ frondes in ſtirpe virebant,
Læſerat hanc tactu flamma nec vlla ſuo.
Tu vellus niueæ quondam impenetrabile lanæ
Nimbis, cum larga terra maderet, aqua.
Ore fauete omnes, omnes nos morte peremptos
Iſta dies Stygis rurſus ademit aquis,
Ipſe meæ tangens Cytharæ pia plectra mouebo,
Inq; tuas cunas Chriſte diſertus ero.
Tu precor inſpira tremulæ modulamina voci,
Vt reddat numeros lingua diſerta mea.
Quando Deus nitidi conuexa creaſſet Olympi,
Et quod in amplexu circulus orbis habet.
Tunc ver perpetuum, tunc formoſiſſimus annus,
Tunc phœbus roſeo lumine lætus erat.
Terra dabat fruges vltro, ſine vomeris vſu
Educens grauido ſemina larga ſinu.
Omnia ridebant genitali læta decore,
Cunctis certamen fertilitatis erat.
Tum Deus aſtrifero reſidens ſuper æthere gaudet,
Et miratur opus conditor ipſe ſuum.
Mox placet & pecudes diſcordi condere forma,
Quæq; ſonant ſuaui gutture carmen, aues.
Nec mora percuſſæ reſonant uagitibus auræ,
Accepitq; uagum terra globoſa pecus.
Poſt terræ gelidam ſumens ex viſcere glebam
Edidit extremum conditor artis opus.

Scilicet

Scilicet effigies, homo ſit, ſine labe parentis,
Qui tantum Domini ferueat igne ſui.
Quiq; refulgentis ſpeculi de more relucens
Vera Creatoris det ſimulachra ſui.
Quiq; regat volucres vibrantes aêra pennis,
Et quicquid patulus ſub Ioue mũdus habet.
VIDIT & inuidit Lethæus talia Pluto,
Et celer in fraudes ingenioſus erat.
Nec mora, cærulei ſimulauit membra colubri,
Detorquens vario ſibila colla modo.
Blanditiaſq; ſuas, ob conſcia verba malorum
Edocet, & ſuaues dat ſine felle ſonos.
O nimium miſeros homines, ò pectora cæca,
Quos fugiunt ſortis commoda magna ſuæ.
Quos iuuat in tacitis nemorum ſeceſſibus æuum
Degere, quos vitæ tœdia nulla premunt.
Diſcite, quæ maneant vos ſortis fata futuræ,
Quamq; ſit hæc var*ijs* obuia vita malis;
Si fuerit vetita guſtatus ab arbore fœtus,
(Iſte voluptatis gaudia morſus habet)
Hos licet audendo vultus abolere malorum,
Et bona mutata ſors dabit ampla vice.
Ore Deo ſimiles, ſimiles capietis honores,
Vos penes arbitrium cum Ioue ſemper erit.
Verba timore carent, dixit, pomumq; recepit
FOEMINa, quod ſocio mox dedit illa viro.
Ille metu pauidus, ſimul & ſpe lætus honoris
Hæret, & ambitio quod probat, odit amor.
Omnia

Omnia perpendit, ſed quid feciſſe noceret
Credidit, & morſu noxia poma petit.
Aſt vbi non licita violaſſet ab arbore pomum,
Tum dolet admiſſi criminis eſſe reos.
Namq́ vident iuſtas DEVS vt ſit pronus in iras,
Quamq́ grauis vetitũ pœna ſequatur opus.
At nimis, heu, ſerò clypeum poſt vulnera ſumunt,
Et captos tectis pœnitet eſſe dolis.
O lacrymoſa dies, nigroq́ notanda lapillo,
Quæ mittis ſtygiæ corpora noſtra neci.
Quæ primam lethi cauſam, primamq́ malorum,
Cumq́ premat triſtis corpora languor, habet
Illa dies homines optanda ſorte beauit,
Optandam ſortem perdidit illa dies.
Vna ſalus hominum vel non ſperare ſalutem,
Vel pœnas ſceleris Tartara nigra pati.
AT Deus humanum genus haud exoſus ad vnum,
Lenita noſtras audijt aure preces.
Scilicet hoc fecit diuini pectoris ardor,
Qui nos Lethæis exonerauit aquis.
Virgine, ait, veniet (dictu mirabile) ſemen,
Vlcera quod ſanet terrigenûmq́ luem.
Aurea fulgentis reſerabit limina Cœli,
Limina terribili clauſa adamante prius,
Humanũ eripiet tenebris genus, improba claudet
Regna Stygis, manes euehet inde pios.
Eijcietq́ ſuo crudelem Marte Tyrannum,
Cuius capta dolis turpiter Eua fuit.

Iam

IAM pater vt gemina mirandus imagine Ianus
Clauſiſſet templi limina cæca ſui.
Et rigidi tandem ceſſaſſent prælia Martis,
Tutaq; laurigeræ tempora pacis erant.
Dat Cæſar populis & genti iura Quirini,
Cenſu quiſq; ſuas vt fateatur opes.
Cæſareis paret quæuis gens Itala iuſſis,
Datq; ſuæ iuſtas conditionis opes.
Nec minus antiqua Dauidis ſtirpe creatus,
Ioſeph diuitias exhibet ære ſuas.
Parua petit Bethlæ, ſed conſcia mœnia fati,
Iam vir cignæis candidus ora comis.
Caſta virum coniux ſequitur vix paſſibus æquis,
Nempe ſalutifero pondere tarda fuit.
Iam loca tranſierant locupletis proxima terræ,
Et læſit teneros iam via longa pedes.
Interea occiduas Titan properabat ad vndas,
Et color in formis omnibus vnus erat.
Protinus aſpiciunt optatæ mœnia terræ,
Hoſpitium feſſis hic vbi vile fuit.
Tecta domus ſubeunt viſæ, prece quemq; ſalutant,
Et recreat dulcis languida membra quies.
Inde ſenex genibus nitens (heu) flatibus ignes
Excitat, hybernum frigus vt arte premat.
Phoebe noctiuagis mox ſurgens pura quadrigis
Lucet, & â tremulo lumine tecta nitent.
Ecce ſenis liquidus deflectit ſomnus ocellos,
Proq; thoro rigidi ſtraminis vſus erat.

At

At virgo vigilem traduxit candida noctem,
Dum ſentit ventris numen onuſq; ſui.
Iam maiore Deus commouit viſcera motu,
Et vidit partus virgo pudica ſuos.
Vt vidit cupidis amplexibus oſcula figit
Mater, & ob ſobolem flagrat amore ſuam.
Inuoluit tenui, quod erat uelamine, natum,
Ne noceant membris frigora dura ſacris,
Et locat in rigido (deerant cunabula) fœno,
Ante tamen tenui lactis alebat ope.
Ille iacet, viles nec dedignatur amictus,
Nec capit herboſi tœdia dura thori.
Nec puer HYbernæ renuit mala frigora brumæ,
Quæ ſtrinxit vitreas, marmoris inſtar, aquas
Aula ipſi eſt ſtabulum, ipſi præſepia cunæ,
Ipſius atq; artus bos piger ore fouet.
Omnia Chriſte ſubis, nam ſunt ſubeunda, parentis
Si tandem tolli debuit ira tui.
O nimium noſtros nimium miſerate labores,
Vnica naſcendi nos tibi cauſa ſumus.
Et tua te bonitas, & noſtræ cura ſalutis,
Ex patris eduxit maxime Chriſte ſinu.
Pauper in hũc mũdum properas ſine diuite cultu,
Vt noſtri poſſis ferre miſertus opem.
Sedibus ut lætis nos nos ſuper aſtra reponas,
Angelico facias conſimileſq; gregi.
OMNia nos propter, propter nos omnia perfers,
Vt fias nobis notus amore tuo.

Salue

Salue feſta dies ardentibus inclyta votis,
Quæ firma renouas gaudia noſtra fide.
Salue feſta dies antiqui nuncia lapſus,
Noſtræ notitiam conditionis habens.
Te quoties reuehit diſcernens tempora phœbus,
(Heu meminiſſe) mei quæ ſit origo ſubit,
Te quoties idem reuehit sol pectora gaudent,
Et dant lætitiæ maxima ſigna nouæ.
Aureus ipſe ſuo lætatur lumine Titan,
Namq; ſerenanti clarius igne nitet.
Cādida quid Lunæ facies? quid ſydera? quid nox?
Quippe recens geniti dant documenta Dei.
Quid noua ſurgentis loquar incrementa diei?
Signa hæc lætitiæ quis negat eſſe nouæ?
Salue feſta dies toto memorabilis æuo,
Qua peperit Chriſtum virgo pudica Deum
Salue feſta dies nunquam non læta futura,
Qua Deus æterno fœdere factus homo eſt.
Hæc eſt illa DEI lux qua mortalibus ægris,
Cœleſti ſummum venit ab arce bonum.
Hac noua progenies cœlo demittitur alto,
Auſpicio cuius reddita certa ſalus.
Salue ſancte puer, FRATER mitiſſime ſalue,
Munera tu ſolus non peritura dabis.
Serpentis triture caput prodi impiger HEROS,
Et tibi fidentes eripe CHRISTE malis.
Iam phlegethontæi ceciderunt ſpicula Ditis,
Spicula quæ noſtro ſanguine tincta madent
Impi

Impia iam plangunt diris vlulantia pœnis
Tartara, Iam triplici Cerberus ore tremit.
Cerberus exululans atram ſub ventre recondit
Caudam, latratu regnaq́ꝫ cœca mouet.
Nempè tuos metuunt triſtiſſima iura triumphos,
Dum naſci humana conditione placet.
Tu fera Saxificæ viciſti Gorgonis ora,
Et vis Eumenidum te ſuperante iacet.
Te ſuperante iacent falcatæ robora mortis,
Nec quid parcarum ſtamina iuris habent,
Aequiualens tu tu noſtro pro crimine lytron
Factus, opes reddis S O L V S olympiacas
Tu nos amne tui purgaſq́ꝫ lauaſq́ꝫ cruoris,
Tu liquidas aperis ad tua Regna vias.
At tibi quas tandem tali pro munere dignas,
Reddemus grates, maxime Chriſte, latet,
Nos ſumus(heu) fateor tantorum cauſa malorum
Vnica, quò fieres debile carnis opus.
Nos patris æterni (dolet) irritauimus iram,
Iuſſus es ut noſtras Chriſte ſubire uices.
Si placet, & gratum eſt, libabo munera Bacchi,
Reddent Natalem tempora quando tuum.
Vel tibi thura dabo pingues facientia flammas,
Vel dulci iungam myſtica liba mero.
Deniq́ꝫ qua potero referam cunabula laude,
Inq́ꝫ tuas cunas officioſus ero.
Si mihi defuerit vel thus, vel copia Bacchi,
Carmine Natalem concelebrabo tuum.

Sur-

Surgite mortales, Regiq́ꝫ, Hominiq́ꝫ Deoq́ꝫ,
Aurum, thus, Myrrham munera ferte citi.
Illius & Verbum, quouis pretioſius auro,
Diſcite, nam monſtrat dulce ſalutis iter.
Thura litate Deo, thus eſt Oratio firma,
Semper Rex veſtras audiet ille preces.
Addite præterea Myrrhæ gratiſſima dona,
Ardua ſit moles veſtraq́ꝫ, Myrrha, crucis.
Mille pios clades & mille pericla ſequuntur,
Vos tamen hæc placido pectore ferre decet
In medio præſens vobis eſt turbine Chriſtus,
Tempore ſupremo mite leuamen erit.
Vera repurgati defendite dogmata verbi,
Temnite Nemrothi iurgia, bella, minas.
Tu precor æterno concors Puer alme parenti
Rebus in afflictis (nam potes) adfer opem.
Chriſte graues hominum ſemper miſerate labores,
Liberet æternis nos tua dextra malis.
Da quæ noſcamus ſint ſacri dogmata verbi,
Hæc tibi naſcendi maxima cauſa fuit.
Pro qua factus homo es, ſit ſalua Eccleſia, Chriſte,
Et verbi clemens tecta tuère tui.
Da pacem, pacis voluiſti tempore naſci,
Ne turbet noſtros barbarus hoſtis agros.

FINIS.

In ſilentio & ſpe fortitudo mea.